

poscebat, facultatem, ita tamen, « ut seminariarum sit sub patrocínio, protectione et « subjectione episcopi, ejusque alumni non « minentur ab episcopo; » quemadmodum habetur tom. II *Thesaur. resolut.*, p. 191. Sub iisdem legibus, alia quoque episcoporum seminaria, aliorum regularium gubernio reperiuntur commissa: cura siquidem seminariarum civitatis Albani et Senogalliae tradita est clericis regularibus, *Scholarum Piarum* nuncupatis: et nos ipsi seminarii nostri Bononiensis regimen dedimus clericis regularibus S. Pauli, vulgo *Barnabitis*, non amotis quidem deputatis, qui juxta enuntiatas Tridentini sanctiones, seminarii disciplinæ atque administrationi invigilent, sed eorundem auctoritate intra certos limites coercita. *De synod. diæces.* lib. v, cap. 11, num. 1 et seqq.

*Hæc insuper ex eodem Benedicto XIV ex oper. cit. notasse expedit.*

« Sacrum Tridentinum concilium inter alia adjumenta, quæ episcopis attulit, ut clericorum seminaria, prout vehementer optabat, sustentari possent, facultatem ipsis concessit uniendo seminario « Beneficia « aliquot simplicia, cujuscunque qualitatibus « et dignitatis fuerint, etc., etiam ante vacationem, sine cultus divini, et illa obtinentium præjudicio, etc., quod locum hæc beat, etiamsi beneficia sint reservata vel « affectata; » ut legitur in cap. 18, sess. xxiii *De reform.* Siquidem compertum est omnibus, aliqua existere beneficia ecclesiastica, quorum collatio reservata semper est Romano Pontifici, aut in corpore juris communis, ut videre est in cap. *Licet*, et in cap. *Statutum*, De præbendis in 6, aut in Extravagantibus communibus, ut in cap. *Injunctæ*, tit. *De electione*, in Extravaganti *Execrabilis*, De præbendis et dignitatibus, in Extravaganti *Ad regimen*, eod. tit., aut in bullis S. Pii V, Gregorii XIII aliorumque Romanorum Pontificum, aut in Regulis Cancellariæ, inter quas celebris est regula mensium reservatoria, in qua sibi reservat Pontifex collationem omnium beneficiorum, quæcunque per octo anni menses vacare contigerit, quorum deinde mensium duos episcopis in residentiæ præmium remittit, quæ omnia efficit in vim plenariæ suæ auctoritatis, ut videre est auctores, qui materiam hanc plane cumulateque pertractant.

« Necessarium quidem non est, ut beneficiorum seminario uniones in synodo fiant: quin imo satius videtur, ut, si faciendæ sint, extra synodum expleantur cum consilio quatuor seminarii deputatorum, de quibus alibi verba fecimus; quorum quidem consilium a Tridentina synodo in unionibus hujusmodi *pro forma*, ut dici solet, requiritur, ut observat Lotterius, *De re be-*

(51) Hæc porro apud Rigantium, ubi alia insuper quoad beneficia, quæ uniri non possunt, quæque unionem ipsam spectant, adnotantur in hæc sane verba:

*neficiaria*, lib. I, quæst. 29, n. 60, et ut resolutum fuit a congregatione ejusdem concilii interprete in causa *Giennen*. 14 Februarii 1554, lib. viii *Decret.*, pag. 14: « Sacra, etc., censuit, uniones factas seminariæ absque consilio eorum quatuor, « quos jubet concilium adhiberi, minime « valere: » et in alia *Ferrariensis*. 3 Martii ejusdem anni, eod. lib. viii *Decretor.*, p. 16 a tergo: « Sacra, etc., censuit, in unionibus beneficiorum faciendis seminario, « satis esse, servare formam traditam a « concilio, cap. 17, sess. xxiii *De reform.*, nec « requiri consilium capituli. » Verum, quia aliquando in synodis actum vidimus de unionibus beneficiorum seminario factis aut faciendis, ad hoc ut clerus episcopalem hæc etiam in re sollicitudinem agnosceret, ideo opportunum existimamus, aliquid hic de unionibus beneficiorum seminario factis aut faciendis, attingere: ne eas invalide fieri contingat, neque Apostolicæ Sedis jura ex unione beneficiorum affectorum, aut ipsi reservatorum aliquid detrimenti capiant.

« Porro, ut seminarii sustentationi provideatur, initium minime ducendum est a beneficiis ecclesiasticis ipsi unientibus, sed dismembratio prius fieri debet, seu detractio aliqua portionis fructuum tum mensæ capitularis ac dignitatum, canonicatum et beneficiorum, etiamsi de jurepatronatus existant: « Ex fructibus integris mensæ « episcopalis et capituli, et quarumcunque « dignitatum, personatum, officiorum, præbendarum, etc., et beneficiorum quorumcunque, etiamsi jurepatronatus cujuscunque fuerint: » verba sunt concilii, *loc. cit.*, eaque dismembratio vulgo dicitur *taxa*. Et quidem recitata concilii verba satis indicant seminarium jam erectum præsupponi, scilicet paratam jam domum, præceptores conductos, deputatos electos designatosque consultores ad taxam statuendam: ex quo sequitur, unionem beneficiorum, quæ fieret seminario, non adhuc, uti supra dictum est, erecto, sed erigendo, irritam fore, juxta resolutionem congregationis Concilii in causa item *Giennen.*, 1588, quæ a Sixto V Pontifice confirmata fuit per litteras in forma Brevis datas die 26 Octobris ejusdem anni, ut videre est apud Garciam, *De benefic.*, part. xii, cap. 2, num. 193. Præterea concilium faciendam decernit seminario unionem simplicium aliquot beneficiorum: *Necnon beneficia aliquot simplicia*. Hinc est, quod episcopi non omnia beneficia, nec majorem ipsorum partem, seminario unire possunt. Cumque aliquis id efficere præsumperit, et ipse reprehensus est, et uniones abrogatæ fuerunt; ut patet ex monumentis fideliter a Rigantio collectis, relatisque in tom. II, *ad Regulas Cancellar.*, et speciatim regul. 13, n. 88 et seq. (51).

« Cæterum permissum non est episcopis omnia, aut majorem partem beneficiorum seminariis unire, dum concilium utitur dictione *aliquot*, ibi (sess. xxiii, c. 18): *Nec non uniendo beneficia aliquot simplicia*.

« Sed jam ad jurium Apostolicorum læsionem gradum faciamus, quæ aliquoties in

« Hinc cum episcopus Aretinus de anno 1658, 1659 et 1642 ex sexaginta beneficiis liberæ collationis, quæ aderant in ejus diocesi, viginti quatuor univert seminario, contendere coeperunt datariæ ministri occasione vocationis alterius ex unitis, supradictam tot beneficiorum unionem non rite expletam fuisse, ex quo Tridentinum non mandat fieri stragem beneficiorum seminarii, sed solum permittit *aliquot* ex illis posse ei uniri, unde examinato negotio in congregatione datariæ, ea capta fuit resolutio, ut unio præfata suum sortiri deberet effectum tantummodo quoad septem beneficia, quæ jam per obitum possessorum incorporata reperiebantur seminario, secus vero quoad reliqua, quæ non adhuc vacaverant. Quam resolutionem approbavit *san. mem. Alexander VII*, eamque in cancellaria episcopali registrari mandavit, ut ex litteris *clar. memor. cardinalis Corradi* tunc temporis prodaturii ad episcopum Aretinum scripta sub datum 18 Februarii 1661. Verum cum defuncto *san. memor. Alexandro VII*, idem episcopus anno 1669, supplicasset *san. mem. Clementi IX*, ut supradictam unionem beneficiorum a se factam favore seminarii de annis 1638, 1641 et 1642, ratam haberet, et interea alia tria beneficia eidem seminario applicasset, recol. *mem. cardinalis Othobonus*, tunc prodaturius, episcopo præfato de ordine Pontificis, in hunc qui sequitur modum die 27 Martii 1669, scripsit:

« Non approva nostro signore, inerendo a quello, « che risolvè la san. mem. di Alessandro VII, che « abbia effetto l'unione de' beneficii fatta da V. S. « illustrissima al suo seminario, come dalla lettera, « che ne le scrisse il cardinal Corrado di buona memoria: e perchè s'intende, che abbia essa anche « unito al medesimo seminario li tre seguenti beneficii nella sua diocesi, ec. Sua Santità mi comanda, di scrivere a V. S. illustrissima; che si « compiacca di disunire li suddetti beneficij, acciò « possa aver effetto la provvista fattane dalla Santità « Sua, ec. » Et in præfatarum litterarum executionem celebratum fuit publicum instrumentum; in quo eidem litteris insertis, R. P. D. Thomas Salvatus episcopus Aretinus « separavit, dismembravit, et omnino levavit, ac a vinculo unionum « omnium separavit præfata beneficia, revocans, « cassans, annullans uniones præfatas, etc., » ut latius ex instrumento præfato rogato ab Angelo Lauro curiæ episcopalis Aretinæ cancellario, die 8 Aprilis 1669.

« Episcopo quoque Feretrano, qui sua abutebatur facultate uniendo ad libitum beneficia Seminario, laudatus cardinalis Corradus de anno 1665, de Pontificis mandato litteras dedit, ut in posterum ab uniendo beneficia se abstineret sine licentia ejusdem Pontificis. Eandemque inhibitionem episcopo successori renovavit *clar. mem. cardinalis Carpineus* de ordine *san. mem. Clementis IX*, ut ex illius epistola sub datum xi Novembris 1670, in qua ulterius demandatur ejusdem inhibitionis registratio in cancellaria episcopali.

« Insuper non potest episcopus seminario unire canonicatus in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis residentiam requirentes, Clericat., *De benefic.*, discord. 76, n. 9, nec beneficia parochialia et curata, cum facultas ei impertita a Tridentino, dict. cap. 18, sess. 25, sit restricta ab beneficia simplicia tantum; unde beneficia curata immutare et ad simplicia reducere omnino prohibetur, ut sancitur ab eodem concilio, sess. xxv, cap. 16, *De reformat. et conferunt text. in cap. Majoribus*, et cap. *Vacantibus*, De præbendis, ac decrevit sacra congregatio ejusdem concilii, in *Ravellin.* 15 Julii 1645. Id quod

hiscæ unionibus contingit, quæque cuilibet episcopo effugienda omnino est. Retroactis

locum sibi vindicat, etiamsi beneficia sint tantum habitu et non actu curata, ut decrevit sacra congregatio Concilii, in *Cathacen.* 25 Februarii 1616 per hæc verba: « Sacra, etc., censuit, non potuisse episcopum unire seminario parochialem, quamvis « habitu tantum, et non actu, unionis tempore existere. »

« Verum si in diocesi non adsint beneficia simplicia, potest ad seminarii favorem expleri provisio, etiam respectu parochialium, vel mediante erectione vicariæ in ecclesia parochiali, ut fieri mandavit sacra congregatio Concilii, in *Burdigalen.*, die ultima Julii 1628.

« Vel mediante impositione pensionis super eadem ecclesia seminario solvenda, ut eadem sacra congregatio in *Eugubina* 24 Maii 1601. Quas resolutiones habeo in codice *ms. Decretorum sac. congregationis*, tom. I, pag. 1548. »

Hæc in terminis apud prælaudatum Rigantium, *Comment. in Regul. 15 Cancell.*, n. 88 et seqq.

« Insuper ut valide fieri possit beneficiorum unio favore seminarii, requiritur, quod præcedat dismembratio seu detractio partis fructuum ipsius mensæ episcopalis, dignitatum, canonicatum et beneficiorum omnium. . . eaque non expleta, unio beneficiorum nullo modo subsistit. Lotter, lib. I, q. 29, n. 61; Gonzalez, in *Regul.* 8, *Gloss.* 5, § 7, num. 41; Barbosa, allegat. 77, n. 2; Rota, decis. 475, n. 23 et 24, part. iv, tom. II, recent. decis. 561, n. 7, part. II, decis. 101, et decis. 855, n. 5, part. xv recent.

« Quod si episcopus portionem aliquam bonorum a mensa episcopali, vel a beneficiis dismembrando, eam seminario applicaverit, non censetur satisfecisse dispositioni concilii: quod mandat, portionem favore seminarii detrahendam esse ex fructibus mensæ episcopalis, et beneficiorum, non ex illorum bonis, cum dismembratio ista sit vera et realis alienatio bonorum Ecclesiæ episcopis interdicta, et ita decrevit sacra congregatio Concilii, in *Aversana* 6 Decemb. 1705 ad secundum, et in *Lycien.* 16 Maii 1711, dum in utroque casu, improbata simili bonorum applicatione favore seminarii, mandavit fieri taxam prout de jure. » Ita ad litteram anted. Rigantius, *ibid.*, n. 61 et seqq.

« An autem seminario jam ab initio proviso per taxam et unionem beneficiorum, possit episcopus alia beneficia unire ad solum effectum onus ejusdem taxæ omnino tollendi; indecisum reliquit Rota, in *Tudertina beneficii* 9 Junii 1721, *coram bon. mem. Cerro*, licet inclinare videatur in sententiam negativam, quam et ego probabiliorum existimo, tum inspecta littera concilii. *Trident.* ejusque spiritu, tum constitutione *san. mem. Benedicti XIII*; tum demum praxi universali.

« Et quidem ad tramites concilii, taxa super beneficiis est prima provisio ab eo demandata in sustentationem seminarii, unio vero beneficiorum est remedium vere subsidiarium volitum, postquam taxa præcesserit, eaque insufficientis ad sustentationem præfata detegatur. Porro si episcopis permissum esset beneficia seminario unire ad effectum tollendi taxam, hæc dici non posset primo concupita pro illius manutentione, seu potius e converso dicenda esset subsidiaria contra litteram Concilii, quæ priori loco illam demandavit, ut ponderat Rota, in *dicta Tudertina*, § *Præterea*. » Rigantius, *ad regul. 15 Cancell.*, n. 77.

Id ipsum suadet constitutio *Bened. XIII*, § *Quod si computatis*, etc. (Vide supra verba constit.)

« Et demum concurrens praxis universalis; dum vigere adhuc inspicimus taxam pro seminariis in omnibus fere diocesisibus, in quibus illa erecta reperiuntur: quando. si permissum esset episcopis be-

temporibus episcoporum aliquis beneficium affectum, aut Apostolicæ Sedi reservatum, seminario univit, postquam illud jam vacaverat, et qui de eo ab Apostolica Sede provideri meruerat, jam expediverat bullas aut beneficii possessionem nactus fuerat. Id quidem, ut par erat, minime tolerandum visum fuit: ac propterea congregatio Concilii jure ac merito decrevit, ut ab episcopis beneficia hujusmodi ante aliorum vacationem seminario unirentur. Ita ipsa respondit anno 1586, mense Augusto, ut videre est lib. iv *Decretor.*, pag. 169 a terg. et seq., in causa *Caputaquen.* sequentibus verbis proposita: « Seminarium Caputaquense humiliter petit, sibi declarari, postquam episcopus auctoritate concilii Tridentini potest unire seminario beneficia simplicia cujuscunque qualitatis, an episcopus, vel ejus vicarius, poterit unire dicto seminario beneficia simplicia, quæ vacarunt in mense Pontificis. » Responsum vero fuit: « Sacra, etc., censuit, uniri posse, modo uniantur ante vacationem. » Huic alia concursus est resolutio in causa *Palentina* 1588, mense Junio, lib. v *Decretor.*, pag. 150. « Sacra, etc., censuit, uniones de beneficiis vacantibus in mense reservato non esse validas, cum factæ fuerint post eorum vacationem et provisos a Sede Apostolica debere mitti in possessionem beneficiorum: » cui sequens etiam addi potest edita in causa *Alboren.* 31 Augusti 1600, lib. ix *Decretor.*, pag. 102 a terg.: « Sacra, etc., censuit, si hujusmodi beneficia, quo tempore vacarunt, erant reservata vel affecta, minime potuisse post vacationem ab archiepiscopo seminariis uniri, et provisos Apostolicos in eorumque beneficiorum possessionem esse mittendos. »

« Hoc itaque constituto, et satis ubique cognito, quod beneficia affectioni et reservationi subjecta, antequam vacarent, seminario unienda essent, aliquid ulterius excogitari cepit, quod in Apostolicorum jurium detrimentum cedere inventum est. Quædam existunt affectiones, quæ beneficiatorum personas comitantur, quocunque loco decedant; uti est, exempli gratia, aliqujus cardinalis familiaritas. Nonnulli episcopi in beneficia sic affecta potissimum

beneficia unire ad effectum tollendi taxam, hæc amplius non vigeret in illis saltem diocesisibus, in quibus seminaria ab antiquo tempore erecta fuerunt, et beneficiorum simplicium copia non deest; nam sublata fuisset, per eorundem beneficiorum unionem, ut perpendit Rota, in dicta *Tudertina*, §, *Insuper.* Rigantius, l. c., n. 84.

Et revera, si munus est taxam imponere, quam beneficium suppressere, profecto contra Regulas juris esse videretur suppressere beneficia ad hujusmodi taxam tollendam.

Postremo illud omittendum non est, quoties ordinarius univit beneficia seminario, non servatis solemnitatibus præscriptis a concil. *Trident.*, sess. xxiii, cap. 18, talia beneficia remanent reservationi Apostolicæ obnoxia vigore Regul. 1 Cancellariæ

oculos injicientes, eaque, antequam vacarent, seminario unientes, certum Datarie Apostolicæ damnum inferebant, quæ eveniente eorum vacatione, de ipsis, utpote jam seminario unitis, disponere non poterat. Hanc jurium Apostolicorum perturbationem recte animadvertit congregatio Concilii; atque ideo censuit, viam aliquam arcendis in posterum fraudibus excogitandam esse: uti legitur lib. ix *Decretor.*, pag. 117 a terg., die 26 Februarii 1601. « Sacra, etc., censuit, de cætero ad obviandum fraudibus, oportere decerni, ut non possint etiam ante vacationem uniri seminario beneficia, quæ obtineant personæ, quæ vel ob familiaritatem cardinalium, vel aliam rationem, tales sint, ut, quocunque mense decedant, certum sit, ea fore affecta Sedis Apostolicæ. Cæterum in præteritum nihil statuendum sinendumque, ut causa suo Marte decurrat. » Consilium hoc a Clemente VIII Pontifice approbatum fuit, ut videre licet apud Fagnanum, in cap. *Sicut unire*, n. 37, De excessibus prælatorum. Jamque id jus obtinet, ut beneficii affecti unio, ne quidem ante illius vacationem, per episcopum seminario fieri valeat, quando affectio stabilis est, continua atque immutabilis, cujusmodi est illa familiarium Pontificis et cardinalium, protonotariorum, aliorumque Apostolicæ Sedis officialium; relicta tamen ei facultate beneficium affectum affectione non continua, sed fortuita, qualis est illa mensis aut loci, ante vacationem uniendi; ignoratur enim, dum unio fit, ubi, aut quo mense beneficiatus obiturus sit.

« Cujus legis ratio cum in eo posita sit, ut supra attigimus, ne fraus fiat Apostolicæ Datarie juribus; consequens est, ut nec illa quidem unio sustineatur, quam episcopus seminario fecerit de beneficio non ita constanter affecto, et nondum vacante, si appareat, expectatum ad id fuisse tempus, quo beneficiatus ægrotans proximus erat obeundæ morti, quam re ipsa in mense reservato obiit; sicuti nec illæ sustineantur, quas fecerit episcopus aliquis, quem constet nullum unquam beneficium ex his, quæ in suo mense vacarunt, seminario univisse; sed ad illa duntaxat unienda animum intendisse, quæ in mense Apostolico vacare poterant. Hæc omnia accuratissime exposita sunt a Rigan-

Apostolicæ. Hæc enim generaliter reservat beneficia, de quibus ordinarii collatores *disposuerunt, et disponunt, et dispositum fuerit* contra formam decretorum Concilii. Verbum autem *disponere*, utpote generale, comprehendit etiam unionem; et qui prohibetur disponere, prohibetur etiam unire, Lotter., *De re benefic.*, lib. 1, q. 29, n. 45, et magis in specie, quod beneficia nulliter unita contra formam decretorum Concilii, sint reservata, Rota, decis. 307. n. 20 et 21, part. xiii recent. Et ita resolutum fuit a congregatione Datarie, die 22 Decemb. 1705, contra episcopum Ferentinum, cui cum die 14 Martii 1704, adversus dictam resolutionem audiri supplicasset, responsum fuit, *Nihil de nova audientia.* Rigantius, *ad Regul. 1 Cancell.*, § 10, n. 41, 42.

tio, *loc. cit.*, n. 110 et seq., cujus quidem scriptoris auctoritate libenter utimur, quod et ipse, dum vixit, nos omni amici hominis officio est prosecutus, et nos testes sumus incredibilis illius laboris ac diligentie in colligendis et discutiendis iis omnibus, quæ suis Operibus inseruit.

« Refert præterea idem auctor, *ad prædictam regulam* 13, n. 117 et seq. controversiam exortam post Clementis VIII decretum; cum scilicet dubitatum fuit, utrum S. R. E. cardinales, aliique, qui indulta habent conferendi beneficia Apostolicæ Sedi reservata, et affecta, possint hæc, licet non eventuali duntaxat et variabili reservationi obnoxia, sed fixa et immutabili affectione reservata, seminario unire. In favorem siquidem cardinalium dicebatur, quod, cum ipsi in decreto Clementis VIII, expresse nominati non fuerint, illius lege minime tenebantur. Pro omnibus autem Indultariis illud in genere asserebatur, quod nempe, sublata per Indultum reservatione, libera in ipsis revivisceret auctoritas ordinaria, qua poterant, juxta Tridentini præscriptum, beneficia quæcunque, licet antea Apostolicis reservationibus et affectionibus subjecta, seminario unire. De hac questione in congregatione Concilii disputatum est; et quidem cardinalis Ubaldinus prolixo suffragio edito, quod, suppresso illius nomine, refert Fagnanus, in cit. cap. *Sicut unire*, a n. 18 ad 46, De excessibus prælatorum, intentioni cardinalis Lantes tunc episcopi Tudertini astipulatus, reliquos collegas, in ea causa judicantes in suam sententiam pertraxit, ut colligitur ex resolutione ejusdem congregationis in *Tudertina unionis* 20 Januarii 1522, lib. xii *Decretor.*, pag. 88, ubi sic legitur: « An cardinalis episcopus, habens Indultum, possit, non obstante decreto san. mem. Clementis VIII unire seminario ante vacationem ea beneficia, quæ, si eodem cardinali vivente vacarent, non obstantibus reservationibus vel affectionibus Apostolicis, ad suam collationem pertinerent. » Sacra, etc., censuit, posse. » Cum tamen non eadem semper fuerit dictæ congregationis opinio, ac etiam in tribunali Rotæ aliqua fuerit super hoc sententiarum varietas, Summus Pontifex Urbanus VIII, in sua constitutione 165, quæ incipit *Quamvis fel. rec. Clemens Papa VIII*, confirmato prius Clementino decreto, declaravit, in illo non solum patriarchas, metropolitanos archiepiscopos et episcopos, verum etiam S. R. E. cardinales comprehensos fuisse, et esse; neque illis in vim Indultorum Apostolicorum licuisse, aut licere beneficia, tempore unionis affecta et reservata, seminario unire, nisi ad formam decretorum ejusdem Clementis VIII, uti copiosius legitur in dicta constitutione, relata etiam per extensum ab eodem Fagnano in cit. cap. *Sicut unire*, n. 49 et 50, De excess. prælator.

« Hæc itaque statuta ac definita habentur,

pro eo quod pertinet ad unienda seminariis beneficia ecclesiastica Apostolicæ Sedi reservata, aut affecta: nec aliud quidquam hic addere necesse esset, nisi fel. rec. Pontifex Benedictus XIII, pro episcopis Italiæ et insularum adjacentium, constitutionem edidisset, quæ incipit *Credite nobis*, quæque ordine 27 exstat in Appendice ad concilium Romanum ab ipso habitum in basilica Lateranensi anno 1725. Per eam siquidem constitutionem prædictis episcopis jus tribuit uniendi seminario « Beneficia simplicia cujuscunque qualitatis et dignitatis fuerint, etiam jurispatronatus ecclesiastici, vel quomodocunque affecta, et dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, etc., fel. rec. Clementis VIII ac Urbani pariter VIII, necnon aliorum quocunque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutionibus vel decretis, in contrarium facientibus, non obstantibus, etc. » Quæ verba nonnullis Italiæ episcopis ansam dederunt, ut sibi tributam putarent facultatem uniendi seminario quælibet beneficia simplicia nondum vacantia, licet quocunque modo Sedi Apostolicæ affecta et reservata; sublatis nimirum de medio, per verba superius recitata, contrariis Clementis VIII et Urbani VIII decretis, in supra citatis eorum constitutionibus contentis. Verum advertendum est, præfatum Benedictum Pontificem in eadem constitutione *Credite nobis*, decrevisse, ut, antequam ad beneficiorum unionem procedatur, non solum statuta et imposita esse debeat taxa a concilio Tridentino præscripta, et quidem ad rationem saltem trium annuorum scutorum pro quolibet centenariio fructuum; verum etiam, si hæc ad seminarii et clericorum in eo alendorum sustentationem satis non sit, ut eadem taxa usque ad summam quinque scutorum augeatur; et quidem cum approbatione congregationis ab ipso Pontifice super seminariis institutæ. Quod si in aliqua diocesi, computatis omnibus seminarii proventus, etiam illis, qui ex beneficiis antea unitis, aliisque redditibus eidem applicatis obveniunt, necnon ipsa taxa ad prædictam rationem aucta, non adhuc ejusdem seminarii et alumnorum necessariæ sustentationi sufficienter provisum esse constiterit; *tunc et eo casu, ac in subsidium tantum*, prædicta beneficia affecta, et Sedis Apostolicæ dispositioni reservata, non tamen jam vacantia, seminario uniantur. Ex quibus simul sumptis clare patet, episcopos Italiæ et adjacentium insularum, qui Benedictinam constitutionem exsequi, ac privilegio sibi per eam elargito uti velint, id agere minime posse, nisi cætera superius indicata præcesserint: quod et ex ipsa constitutione colligitur, et clarius etiam ex edicto ipsius Pontificis jussu publicato, et ad locorum ordinarios transmissio per organum cardinalis Corradini tunc prodatarii. » *De synod. diocesis.*, lib. ix, cap. 7, num. 1 et seqq.